

TVRALIBVS. Ergo PARI RATIONE potest diligere Deum ex SVIS NATVRALIBVS super omnia, & frui eo.

106. Antoninus part. 1. summa. tit. 11. cap. 3.

Homo potest inclinare aurem suam in verba legis: inclinare autem aurem, est implere legem Integraliter, obedire; intentionaliter, & agere constantionaliter. Integraliter implere, est totam legem facere: intentionaliter obedire, est secundum intentionem legislatoris, & non secundum verba legem facere: Constantionaliter agere, est propter timorem poenarum non declinare.

107. Et in Sorbona Parisiensi, ante annos haud ita multos, publice disputatum & defensum est impium hoc thema: Ad decalogi praecceptorum observationem non requiritur gratia, cum peccata non sint omnium gentium opera. *Quaest. Theolog. Paris. pag. 20.*

108. Quoad recentiores scriptores, mirum videri debet, quo compunctionis Spiritu percussus Fabricius noster, hanc suarum Ecclesiarum doctrinam negare ausit, cum ipse pag. statim sequente protestationem Iohannis Cochlei, Fabricianae ex adverso repugnantem, his verbis ponat: utrobique damnant (protestantes in hoc articulo) eos, qui hominem proprijs naturae viribus docent posse praeccepta Dei facere,

Vn

quoad